

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. XXII. De corde, & pericardio, nec non de illius atque arteriarum motu.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

hepatis superficie a dextro eius lobo ad sinistrum transversim porrigitur, ac venam portarum ventralem ad extremum dextrum, atque umbilicalem ad sinistrum, recipit. Dextro hepatis lobo tres ramos maiores, sinistro duos, & convexæ hepatis parti unum minorem, plerumque mittit, ex quibus dein innumeri ramuli, arteriæ hepaticæ ramusculos atque ductus bilianos comitantes, totamque hepatis substantiam perrepentes, prodeunt. Vid. *Laur. Heisteri comp. anat. pr. II. p. CLXVIII, tab. III. fig. XII.*

CAP. XXII.

*De corde, & pericardio, nec non de illius atque arteriarum motu.*

§. I.

**C**or est viscus robustum, musculosum, *Cor.* conicum, basi dextra lata, mucrone sinistro ut plurimum geminato præditum, atque in thorace sub læva papilla, inter pulmones, situ fere horizontali pendulum diaphragmati incumbit. Gemino ventriculo vel sinuoso specu, dextro vel anteriore, tenuiore ac minus robusto, atque sinistro vel posteriore, crassiore ac valentiore, gaudet. Duo utrique fibrarum strata communia sunt, tertium autem sinistro proprium est, & septum transversum, ventriculos distringens, & foraminulis quandoque pervium,

simul constituit. Fibrarum musculosarum alia rectae, cordis conum ad eius basin adducentes, alia spirales, duplicis ordinis, decussatim positae sunt, & cordis cavitatem angustiore reddunt. Ex utriusque, inprimis autem sinistri sinus complures propaggines carneo-tendinosae, reticulorum, lacerorum & columnarum nomine venientes, oriuntur, quae in cordis basi atque valvulis desinunt, ut in illius diastole has retrahant, atque in systole firment. Arteriarum basis uterque cordis sinus merito dicitur, ex hoc enim fonte duae grandes arteriae oriuntur, quae, sparsa ramorum serie, per alios minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. De corde & vasorum magnorum truncis vid. *W. Comperi anat. C. H. tab. XXII. fig. 1. Winslovii observations sur le fibres du cœur, & sur les valvules, dans les Memoires de l'Academie Royale des Sciences 1711. p. 196. Raym. Vieussenii tract. de structura & caussis morbus naturalis cordis, Tolosae 1715. L'Histoire de l'Acad. R. des Sciences 1752. p. 38. sur la structure du cœur, & Memoires p. 362. & p. 457. L'Histoire 1754. Memoires p. 560. Rich. Lomevi tr. de corde, Lugd. B. MDCCXL. M. de Senac traité de la structure du cœur, à Paris 1777.*

*Obs.* Cor in anteriore sua facie, etiam in macilentissimis, pinguedine obteetum esse solet. Vid. *J. B. Morgagni l. 1. de sedibus & caussis morborum per anat. detectis, epist. XXI, art. XV.*

## §. II.

Totus thorax *pleura* duplici lamella *Pleura.* valde vasculosa, interiore læve, exteriori cellulosa, investitus est, quæ extimam visceribus, in eo contentis, membranam largitur. Arterias a mammariis, intercostalibus & diaphragmaticis, frequentes anastomoses inter se facientibus, habet. Venæ eiusdem nominis in venam azygon & truncum cavæ superiorem se exonerant. A septo transverso atque thoracis vertebris nervi eius veniunt. Vasa eius lymphatica ad ductum thoracicum abeunt. Ab eiusdem pleuræ duplicatura *mediastinum* formatur, quod, prope sternum cum costarum lateris sinistri cartilaginibus firmiter cohærens, thoracem, secundum longitudinem, in duas cavitates inæquales dividit. Inter utramque eius membranam superius ac inferius multa tela cellulosa continentur. Arteriæ mediastinæ a mammariis, intercostalibus, œsophageis, diaphragmaticis atque aorta veniunt. Venæ mediastinæ in illorum nominum venas & cavam abeunt. Nervis exiguis a pari vago & diaphragmaticis donatur. Vasa lymphatica in tela mediastini cellulosa decurrentia in ductum thoracicum se exonerant.

## §. III.

Ventriculi cordis dextri ostio tres valvulæ tricuspidales, vel triangulares, appositæ sunt, quæ, in eius diastole hiantes, sanguinis influxum facilitant, succedente

*Cordis  
valvula  
& arteria  
commu-  
nes.*

autem systole, aperturam obturantes, eius regressum impediunt. Ex eodem ventriculo arteria pulmonalis, valvulis semilunaribus vel sigmoideis tribus, ob dictam causam, in principio suo munita, pulmonibus sanguinem advehens, oritur. In ventriculo sinistro valvulas duas mitrales, & supra has parvos sinus, sanguinis ex pulmonibus redeuntis circuitum moderantes, deprehendimus. Ex eodem ventriculo arteriarum maxima, aorta, ramis suis toti corpori sanguinem distribuens, exoritur, quæ in principio suo tribus valvulis semilunaribus, & supra has tribus sinibus, sanguinis expulsum admittentibus, sed eius regressum impredientibus, prædita est.

## §. III.

*Canalis arteriosus.* In embryonibus, ac recens natis, ex arteria pulmonali brevi post eius ex cordis ventriculo dextro egressum, canalis lateralis, brevis, sed satis amplus, in aortam fertur, quem *canalem arteriosum Botalli* nominant, per quem in embryonibus sanguinis circuitus accidit. Nonnullis autem post partum diebus a sanguine polypofo, in fibras albas degenerante, obturari incipit, & duobus pluribusve mensibus post ligamenti naturam induit. Vid. *A. de Haller* icon. anat. fascic. VII. tab. III. L'Histoire de l'Acad. Royale des Sciences 1699. p. 29.

## §. V.

*Vasa cordi propria & nervi.* Propriis suis vasis sanguiferis, coronariorum nomine venientibus, cor præditum

est. Arteriæ coronariæ duæ, sinistra maior longiorque, dextra minor, ad aortæ principium, sub valvulis semilunaribus ortum ducentes innumeros ramulos cordi, auriculis atque aortæ membranis distribuunt, illorumque nutritioni inserviunt. Rarius tertia accedit, quæ, ad cordis pinguedinem abiens, Vieussenio adiposa dicitur. Venæ coronariæ, valvulis gaudentes sanguinem ab arteriolis acceptum, ope trunci inter foramen ovale atque ventriculi dextri orificium hiantis, dextræ auriculæ reddunt, paucae tamen ipsis ventriculis sanguinem suum advehunt. Vid. *Fr. Ruyschii thesaur. anat. III. tab. III.* A pari vago, intercostali & cervicali quinto nervos suos cor accipit, a quibus cordis plexus necitur.

## §. VI.

Utrique cordis ventriculo *auricula*, vel *Cordis auricula.* faccus membranoso-musculosus, sanguinem adfluentem excipiens, & quidem dextro maior, capacior atque in quibusdam locis valde tenuis, sinistro autem minor, angustior & in ambitu suo cristata, apposita, & utraque septo intermedio coniuncta est. In auriculam dextram uterque venæ cavæ truncus, in sinum musculosum terminatus, hiat, in cuius medio diverticulum sanguinis, *tuberculum Loweri*, deprehenditur, quod, ne sanguinem ex inferiore trunco ascendentem a superiori delabens detineat, remedium est. Venæ pulmonales binis radicibus utrimque accedentes in *sinum venosum*

communem colliguntur, qui cum auricula sinistra concretus est.

## §. VII.

Foramen  
ovale &  
valvula  
Eustachii.

In illo loco, ubi venæ cavæ atque pulmonalium facci inter se concreti sunt, membrana ex duabus laminis constans, rarius ex parte reticularis, pellucida, obliqua, margine paullulum elevata circumdata, *valvula Eustachiana*, conspicitur, quæ *foramen ovale* in embryonibus primis mensibus totum pervium, postea in illis ac recens natis superius plus minusve apertum, in adultis crassior, quin sæpius carnea facta, obturat. In istis adeo alta est, & supra foramen in sinistro latere producitur, ut sanguini a sinistris ad dexteram transituro prorsus resistat, a dextris autem appellenti cedat, atque ex venæ cavæ sacco partem sanguinis in sinum venæ pulmonalis transmittat. Vid. *A. de Haller* icon. anat. fasc. III. tab. VII. fig. I-VIII. *Jo. Gottfr. Brendelii* progr. de valvula Eustachiana, inter venam cavam inferiorem dextramque cordis auriculam sita, novam illius, reticulo suo cornuque altero duplici instructæ, tabulam proponens, Gœtting. MDCCXXXVIII. *Dn. J. F. Lobsteinii* diss. de valvula Eustachii, Argent. MDCCLXXI. *Dn. Jo. Mich. Diobold* diss. de foramine ovali, ibid. eod.

*Obj.* Foramen ovale quandoque in adultis apertum manet. Vid. *J. B. Morgagni* l. III. de sedibus & causis morb. per anatomen detectis epist. XLVIII. art. LIX. & LXI. Me in viro,

cum theatro anatomico Erfurtino præeram, illud prorsus apertum videre, memini.

§. VIII.

*Pericardium* est faccus ex triplici mem- *Pericar-*  
brana, interpositis cellulosis, constructus, *dium.*  
cor, involucris instar, laxè operiens, infe-  
rius in homine cum diaphragmate firmi-  
ter concretus. Membrana extima pleura,  
media musculosa maiorum vasorum tunicis,  
& intima, nervea, membranæ cordis at-  
que auricularum continuæ sunt. A media-  
stinis ac diaphragmaticis vasa sanguifera, a  
cordis plexu, & nervis phrenicis, nervos  
suos habet. Vasa lymphatica laticem suum  
ductui thoracico advehunt. Seroso halitu  
rubello, *liquore pericardii* eius interna ac  
cordis externa superficies irrorantur. In-  
volucro hoc cor in situ suo detinetur, illi-  
que motum liberiores dictus liquor præ-  
stans, utriusque concretionem impedit.

*Obs.* In muliere LIV. annorum cor sine  
pericardio ficcum, durum ac scabrum Dn.  
Litre invenit. Vid. l'Histoire de l'Academie  
Royale des Sciences 1712. p. 47.

§. VIII.

Alterna cordis dilatatio atque contractio *Systole ac*  
eius diastole atque systole nominantur. Ex *diastole*  
cordis structura, antagonistis fibrarum mu- *cordis.*  
sculosarum stratis, continuo copiosoque  
spirituum animalium & sanguinis affluxu,  
nervorum sensibilitatem ac fibrarum muscu-



losarum irritabilitatem sustinente, vehemens ac perpetua cordis actio concipi potest. Magna autem vi, summa celeritate, & cum manifesta fibrarum contorsione ac corrugatione cordis systole peragitur; qua durante, illud brevius, crassius ac durius redditur. Expulso sanguine, ob stimuli per brevissimum tempus defectum, illud quiescit ac dilatatum, usque dum novus sanguis, sub eius systole, ab auriculis susceptus, illi celerrime infundatur, novæque contractioni ansam præbeat. Vim cordis ad certum calculum reduci posse, ob infinitam connexorum varietatem, dubito, magnam esse, concedo. Alterna hæc dilatatio atque contractio, ob similes causas, auriculis cordis quoque comperit, sed horum motus a simili ventriculorum cordis achronos est. Vid. *Wilb. Harvæi* exercitationes anatomicæ de motu cordis, Lugd. Bat. MDCCXXXIII. *J. M. Lancisii* tr. de motu cordis &c. ibid. MDCCXL.

*Obs.* Cor etiam unum alterumve diem a morte irritabile esse, rudiores eius contractationes, & liquores siphone in illud adacti, evincunt.

*Schol.* De corde & vasis sanguiferis *Hippocrates* in libro de corde §. V. hi fontes, inquit, sunt humanæ naturæ. Hi flumina, quibus totum corpus irrigatur. Hi etiam vitam homini conferunt, & ubi resiccati fuerint, homo moritur.

§. X.

A cordis systole sanguinem magna vi in *Arteria-*  
 arterias propellente, harum diastole pen- *rum pul-*  
 det; fluida enim, ubi libere cedere nequeunt, *sus.*  
 solidi instar, in arteriarum parietes vehe-  
 menter incurrunt, illasque urgent atque  
 expandunt. In quovis arteriarum puncto  
 pulsus uno eodemque tempore accidere,  
 arbitror; quoniam in canalibus repletis per  
 fluidorum partes immediate se contingen-  
 tes motus celerrime propagatur. Vid.  
 Memoires de l'Acad. R. des Sciences 1765.  
 p. 967.

§. XI.

Variae arteriarum pulsui affectiones ac- *Pulsuum*  
 cidunt, quas vel cordi; motori, sanguini *modi.*  
 movendo, actioni illius plus minusve ob-  
 secundanti, arteriis a vario caussarum con-  
 cursu diversimode affectis, ætati, sexui,  
 temperamento, animi pathematibus, aëri,  
 calori, frigori, motui, quieti, spasmis,  
 morbis, alimentis, pharmacis &c. attribui-  
 mus. Musculi, interpositas venas premendo,  
 sanguinis ad cor reditum accelerant, &  
 quo spissior sanguis est, eo maiorem vim  
 exercet ac recipit. Quo modo animi pa-  
 themata sanguinis circuitum pulsusque  
 mutant, demonstratu non adeo facile est;  
 nisi id nervis, arterias comitantibus, va-  
 rioque spirituum animalium influxui ad-  
 scribere, liceat. A. C. *Celsus* de medicina  
 l. III. c. VI. venas, (motas,) inquit, sæpe  
 concitat & resolvit sol, & balneum, &

exercitatio, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus. Doctrinam de pulsibus *Laur. Bellinus* secundum leges mechanicas in tr. de pulsibus egregie illustravit.

## §. XII.

*Pulsuum  
denomina-  
siones.*

Ob diversum extensionis arteriæ gradum, in singulis pulsibus robur atque debilitas distinguuntur; hinc *valens* vel *debilis* dicitur. In iteratis frequentiam vel raritatem observamus; unde *rari* aut *frequentis* vel *incitati* nomen accipit, & plurium frequentia sine singulorum celeritate vix concipi potest; attamen in uno vel altero celeritatem, sine plurium frequentia nonnulli statuunt, atque per *celerem* eum denotant, qui tempore brevissimo accidit, illumque *tardo* opponunt. Pulsus *valens* & *frequens* *vehementis* nomine venit. *Valens* cordis systole cum plethora *pulsus magnum*, contraria *parvum* efficiunt. A fibris constrictis vel rigidis, vehementeque sanguinis copiosi spissique appulsu, pulsus *durus*, a causis contrariis *mollis* derivandus est. Si arteriæ æquis vel non æquis intervallis moventur, pulsus *aqualis* vel *inæqualis* inde resultat. Ubi omnes arteriarum motus recto ordine contingunt, pulsus *stabilis* est, si vero unus vel alter in subsequenti ordine deficit, *intermittentem* nominant. Ad pulsuum anomaliam in statu morbooso rite diiudicandam pulsuum naturalem in quolibet individuo ante probe nosse, multum refert.

Vid. *Frid. Hoffmanni* diff. de pulsuum theoria & praxi, Halæ Magd.

§. XIII.

In robustis pulsus valens, in imbecillis <sup>Observa-</sup> vero debilis reperitur. Melancholici & <sup>tiones de</sup> num plerique pulsus durum, phlegmatici <sup>pulsu.</sup> ac mulierum plures pulsus mollem habent. Frequens pulsus infantibus, pueris atque cholericis, sanguineis vero stabilis est. Observante *A. C. Celso* l. III. de medicina c. VI. arteriæ sæpius lentiores celerioresve sunt & ætate, & sexu, & corporum natura. Hyeme pulsus rariores, æstate vero, atque in climatibus calidis, frequentiores deprehenduntur. Vesperi quoque pulsus frequentior, quam mane est, dum propter actiones animales interdiu contingentes, sanguinis reditus versus cor acceleratur. Rariore pulsu animalia grandia, celeri parva prædita sunt; quia in illis cor respectu totius corporis in minori relatione est, & sanguini ad maiorem distantiam propellendo plus impedimenti ponitur, in his vero contraria ratio obtinet.

CAP. XXIII.

*De sanguine eiusque circuitu.*

§. I.

Liquor purpurei coloris, in arteriis <sup>Sanguis.</sup> venisque contentus, sanguinis nomine venit. Ex partibus pinguibus, salinis, aqueis

K